



Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

In quo Dauidis Regis ac Prophetæ, aliorumque sacrorum Vatum Psalmi; ex
Hebraica veritate in Latinum carmen obseruantissimè conuersi

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

Psal. CXLVI. Lauda anima mea Dominum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44993

Landa anima mea Dominum.

OPTIMO, MAXIMO, LIBERALISSIMO,
IVSTISSIMO, AETERNO PRIN-
CIPI DEO DICAT.

Halleluiah.

Carmen Dicolon Tetrastrophicum.

- 1 IAM laude cole ô mens, anima ac mea,
- 2 IAM laude colam, viuere dum mihi,
Esse ac dum liceat, constitui piis
IAM dicere canticis.
- 3 Ah non munificis fidite vos, viro
Neu vos terrigenæ : non etenim salus
Illi est, quam validus prospiciat sibi
Auctor vel ferat alteri.
- 4 Exhibit Ieuis huic spiritus, inque humore
Concedet propriam: perdet ea ac dies
Huius propositum, votaque splendida,
Curas, confilia ardua.
- 5 Felix multiplici forte Iacobidum,
Cui dux FORTIS adest auxilio efficax.
Qui vult seque suo credere PRINCIPI.
IAE & fidere prouido.
- 6 Cælos ille facit; terra ferox, mare
Atque his quidquid ineft, hunc perhibent suum
Auctorem; orbis & hunc perpetuum sui
Veri continet arbitrum.
- 7 Fraudatos liquido iudicio afficit;
Pascit quos cruciat sœna fames; cauo
IAS quosque ligant carcere vincula
Solvit, liberat ac leuat.
- 8 IAS pandit item lumina turbida
Cæcis, quosque premit, curuat & impetus,
IAS constabilit, iustitiae probos
IAS diligit affecias.
- 9 IAS curat item, seruat & aduenas;
Pupillum cumulat, nec viduam minus:
Toiquebitque viam, quam tenet improba
Turba & quem instituit modum.
- 10 IAS perpetui in sæcula sæculi
Regnabit tuus, ô crede Sion, bonus
PRINCEPS, præterita ut prædicet hunc, sumit
Aetas postera prædicet.